



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitatio Ethica De Virtute Heroica Et Semivirtutibus

Weiss, Johann
Schmoll, Wilhelm Bernhard

Giessæ Hassorvm, 1664

Axiomata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35917

FERITAS (seu immanitas) est vitium extraordinarium, quo homo, excusso rectæ rationis iudicio, omnique humanitate abjectâ, bestiarum more, perpetrata, à quibus aliàs humanus animus naturaliter abhorret. 2. Magn. Mor. c. 6. *Immani hoc vitio laborârunt HERODES, qui infantes innocentissimos crudeliter interfecit: NERO, qui matris sue ventrem dissecuit, locum, ubi delituisset, visurus; Senecamq; Praeceptorem ad necem compulit: Sueton. Ner. c. 32. sq. IOHANNES BASILIDES, qui humano sanguine satiari non potuit. Guagnin. descr. Mosc c. 5. citante Henr. Nic. de mag. action. th. 19. p. 144. HATTO, Episcopus Moguntinus, qui circa ann. 970. pauperes ad se venientes in horreum inclusos omnes cremavit, illudens eis insuper hac voce: Audite vocem murium. Münst. Cosmogr. Et HELIOGABALUS, qui nudas puellas sibi prandenti & cenanti passus est ministrare.*

SUMMA IGNAVIA est vitium extraordinarium, quo homo omnem virtutis actionem reformidat ac fugit: *Exemplum hujus in se repræsentrârunt olim SIBARITÆ, quorum lex hæc fuit: Nemo nostrum frugi esto.*

A X I O M A T A.

I. Virtus heroica est necessaria.

Necessaria est (1) non respectu *individui*, ut reliquæ virtutes communes, quæ omnium bonorum sunt, & esse debent; sed ratione *speciei*, quæ. v. del. Deus aliquando certo consilio ex genere humano heroës excitavit. (2.) Nō necessitate *absolutâ*, quasi Deus nec valeret, nec posset, nisi unice per heroës Ecclesiam seu Rempublicam conservare

vare; sed necessitate *hypotheticâ*, quat. Deo placuit, per viros hac virtute exornatos, salutem suorum promoveres & à malis imminentibus liberare. Th. Sagitt. exerc. eth. exot. 16. th. 1. p. 390. Christ. Prætor. Ethic. *æget.* cap. 15. quæst. 1. p. 459.

II. *Virtus heroica est divina.* 7. *Ethic. Nic. c. 1. l. 2.* *Magn. Mor. c. 6. § 6.* *Eudem. c. 1.*

Non ratione *subjecti*, quasi Deo secundum illud materiale, quod habet, prout datur in homine, propria fit; sed partim ratione *cause*, quia peculiari instinctu divino comparatur, (de quo ax. 6.) partim ratione *eminentia & similitudinis*, quia hominem supra communem illius consuetudinem evehens, Deo, quantum per humanam conditionem licet, similem reddit. Acciaj. comm. in lib. 7. Eth. c. 1. p. 562. Joh. Magir. comm. in Arist. Ethic. lib. 7. c. 1. p. 640. Henr. Nic. Gymn. Eth. exerc. 14. th. 15.

III. *Virtus heroica est omnium virtutum moralium.*

Non autem solum est (1) virtutum *moralium*, sed & *intellectualium*, quamvis *potissimum* sit moralium; & quidem (2) non sine discrimine, sed additâ hac limitatione, ut *primario* sit earum, quarum major difficultas, dignitas & necessitas; *secundario* reliquarum. Piccol. phil. de mor. grad. 6 cap. 4 p. 535 seqq. Heider. phil. mor. part. 2. quæst. 3. p. 411. Thom. Sagitt. exerc. Eth. exot. 16. th. 2. p. 395. seq. Casp. Barthol. enchir. Ethic. part. gen. cap. 9. Hawenreut. in quæst. Ethic. th. 90.

IV. *Virtus heroica & communis differunt.*

Non *specie*, ita enim circa idem versantur objectum

speciale, & ad finem eundem tendunt sed tantum externo splendore & summo perfectionis gradu, quæ videl. virtus heroica est in eminentissimo statu supra communem sortem posita Piccol. loc. cit. c. 5. p. 537. seqq. Zwing. in annot. inl. 7. Eth. Nic. 1. p. 427. Wallis. dod. misc. quæst. Eth. quæst. 10. Plurimum Rever. Dn. D. Wendeler. Amicus noster certissimus phil. pract. sect. 2. c. 12. quæst. 3. p. 471. seqq. Wendelin. phil. moral. lib. 1. c. 4. quæst. 3. p. 147. seqq. Hendoorn. Eth. Perip. lib. 2. c. 19. quæst. 2. p. 377. seq. & Witzendorff. ethic. th. 186. p. 69.

V. *Virtus heroica consistit in mediocritate.*

Non respectu sublimioris gradus & eminentia, quæ communes superat virtutes, & rectè dicitur extremitas; sed respectu rationis formalis, cum & hæc ipsa virtus sit ratione viri prudentissimi definita, atq; ita inter excessum & defectum constituta. Sagitt. 1. c. th. 2. p. 397. Wendelin. 1. c. c. 3. quæst. 1. §. 7. p. 144. & Clar. Reyher. Amicus noster sincerus in marg. phil. syn. Eth. th. 297. p. 687.

VI. *Nullus vir magnus extitit absque afflatu divino. Cic. l. 2. de nat. Deorum.*

Per *afflatum autem divinum*, quo agitantur heroës, intelligitur non (1) *raptus* aliquis *fanaticus*, sed *singularis honestatis ardor à Deo inditus*, unde postmodum mirandi ad magna tentanda impetus exsurgunt. Non (2) *afflatus immediatus*, omnem disciplinam & assuefactionem excludens; sed *mediatus*, respiciens causas secundas, (præclaram scilicet indolem, optimam institutionem & frequens actionum virtuosarum exercitium) quas ita instruit, ut operi magno absolvendo pares esse possint. Non (3.) *influxus Dei*

Dei *generalis*, omnibusque hominibus concessus; sed *specialis* & *extraordinarius*, quo aliqui saltem præ cæteris percelluntur. Nec (4) *Afflatus specialior & gratiosus strictè* ita dictus, renatis seu electis proprius; sed *specialis*, quem in operibus extraordinariis, ut & in singulari bonorum naturalium & virtutum communicatione videre licet. Saggitt. l. c. th. 3. p. 401, seq. Wedelin phil. moral. l. c. quæst. 2. p. 144. seqq. Henr. Nic. Gymn. Ethic. exerc. 6. thel. 2. §. 7. pag. 197. Spengler. exerc. Ethic. 12, art. 1. præcept. 1. in d. 5.

VII. *Facta heroica sunt supra communem regulam Luth. in c. 22. & 29. Genes.*

Cùm enim heroës (1) non *ordinariis*, sed *extraordinariis* à Deo *dotibus* sint instructi, hinc facta eorum (2.) non fiunt *secundum*, sed *supra vulgarem regulam*: ac proinde nos, qui privilegio hoc speciali sumus destituti, imitemur heroës (3) non in iis, quæ sunt mirabilia; sed in iis, quæ sunt *imtabilia*: Quæq; (4) vocationi nostræ non *repugnant*, sed ad omnes *pertinent* homines. Bernh. in conc. de S. Mart. & Schüb. phil. mor. lib. 3. cap. 13. ax. 3. p. 319.

VIII. *Exitus heroum est felicissimus.*

Nequaquam autem attendendum est, quid *per accidens* fiat: evenire enim solet, ut heroes interdum, vel vehementiâ spirituum, vel insolentiâ & malitiâ quâdam seducti, semetipfos dent præcipites; vel fraude, invidiâ, & violentiâ aliorum circumventi, in extremas conjiciantur miseras; sed quid futurum sit *ex intentione Dei*, qui respicit insigne bonum per heroes, actus heroicos exercentes, gloriosè exhibendum. D. Nic. Zapff, Fautor magnus, phil. pract.

pract. de virt. her. th. 12. p. 492. Wendelin. l. c. c. 3. quæst. 9. p. 152. seq.

IX. *Virtus heroica in utrumque cadit sexum*

Non ergo *viri* tantum sunt subjectum virtutis heroicæ, sed & *fœminæ*, quæ non minus, quàm illi capaces sunt impetûs divini extraordinarii, cui tam facile est, ad hanc virtutis ἀρετὴν educere fœminam, quàm virum: etiam si hoc concedendum, quòd non adeò frequenter, aut tanto cum splendore reperitur in fœminis, quàm in viris. Lipf. in polit. lib. 2. c. 3. Piccol. l. c. 10. p. 546. seq. Wendelin. l. c. quæst. 6. p. 150. seq. Geilfus. Eth. exerc. 16. num. 15. p. 178. seq. Vernul. Instit. Mor. lib. 3. tit. 7. c. 3 p. 172. Crüger. hort. virt. quæst. 90. p. 249. seqq.

X. *Virtus heroica non cadit in pueros.*

Non loquimur de indole heroicâ, quæ maturè se prodit, & radios excellentiæ de se spargit; sed de perfectâ virtute heroica, quæ, (nisi extra ordinem per absolutam suam potentiam hic agere Deus velit) in hac ætatu tantum est δι' ἐλπίδα. Nic. Hunn. exercit. ethic. 10. thes. 10 pag. 212. seq.

XI. *Heroës impingentes graviter impingunt & hallucinantur.*

Quamvis enim lapsus in se & ratione sui non semper & ubique sit gravior, quàm aliorum; *judicium* tamen hominum plerumque ita comparatum est, ut peccati qualitatem non ex ipsius facti naturâ, sed ex peccantis dignitate æstimet. Sagitt. l. c. th. 3 p. 402. seq.

XII. *He-*

9

XII. *Heroum filii noxæ.*

Neque tamen proverbium hoc (1) *semper & ubiq;* est veriverbium; sed *ut plurimum* contingit, ut magnorum virorum filii degenerent: dum videl. heroës generant (2.) non *quà heroes*, sed *quà communes homines*: & quidem (3) non *quoad accidens* acquirendum, sed *quoad speciem & substantiam* à naturâ intentam: unde apparet, virtutem excellentem (4) non dependere à *familiarum dignitate*; sed à *Dei benignitate*, in cujus solius beneplacito est positum, singularia conferre dona. Sagitt. l. c. p. 404. seq. Tob. Magir. Florileg. LL. CC. p. 1146. Christ. Matth. Syst. Eth. lib. 3. exerc. 10. disquisit. 2. p. 272. seqq. Spengl. exerc. Ethic. 12. artic. 2. can 2.

XIII. *Vitium virtuti heroica in excessu oppositum est feritas. 7. Eth. Nic. 1.*

Dicitur autem vitium hoc *feritas* non ratione *subiecti*, quasi feris aut beluis competat; sed ratione *assimilationis*, quâ hominem ratione qualitatam infra humanam conditionem deprimat, ipsumq; nocentissimis bestiis in vitâ similem reddit. Hieron. Prætor. phil. pract. part. comm. sect. 15. pag 166. Cahlen. exerc. Ethic. 9. cap. 1. th. 5. p. 297.

XIV. *Feritas pejor est vitio communi.*

Procedit de *feritate* non *naturali*, à naturâ & natiuitate consurgente: neque de *morbosâ*, à morbo quodam maligno fluente, de quibus Arist. 7. Ethic. Nic. c. 6. loqui videtur, sed de *morali*, ex pravâ consuetudine atque proæresi proveniente, quæ procul dubio suâ pravitate commune superat vitium. Piccol. l. c. c. 14. p. 553. seqq. Mart. Casel.

B

disp.

disp. Eth. 7. artic. 2. quæst. 28. Burgerf. disp. Id. phil. mor. c. 23. th. 23. & 24. p. 250. seq. Geilfus. l. c. th. 23. p. 181. Crüger. l. c. quæst. 91. p. 254. seqq.

XV. *Feritas deterior est summâ ignaviâ.*

Neque hîc nobis sermo est de *feritate naturali & morbosâ*; sed de *morali*. Christ. Prætor. Eth. cap. 15. quæst. 12. pag. 464.

XVI. *Qui carnes edunt humanas bestialitatis infamiâ notantur.*

Valet de iis, qui vescuntur carnibus humanis, iisque præsertim crudis, non *in extremo necessitatis casu*, fame intolerabili imperante, sed ex proæresi & deliberatâ animi voluntate, *extra omnem necessitatis casum*. Balth. Meisl. phil. sob. part. 3. sect. 1. c. 5. quæst. 3 p. 291. seqq. Add. Dannhaw. exerc. Ethico Polit. 2. probl. 9. pag. 51.

D E

SEMIVIRTUTIBUS.

SEMIVIRTUS est dispositio, mediocritatem servans, sed cum aliquâ difficultate, affectibus rationis imperio reluctantibus, & ægrè parentibus.

Estque vel continentia, vel tolerantia.

CONTINENTIA est semivirtus, mediocritatem servans in voluptatum cupiditatibus rectæ rationi adversantibus, cum dolore quodam & gravi appetitiûs luctâ. 7. Ethic. Nic. 4. *Illustre exemplum præbet HERCULES, qui, cum duas cerneret vias, unam voluptatis, virtutis alteram, incertus mentis, quamnam via ineunda esset, ut sibi consuleret,*